



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Duo Tractatus

Moneta, Giampietro

Marburg, 1628

I. An in aliis beneficiis quàm canonicatibus locum habeat Optio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63048)

- 112 *Præscriptio, & consuetudo extenduntur ad casus omnino similes.*
- 113 *Melius est quod est magis gratum.*
- 114 *Mandati fines diligenter sunt custodiendi.*
- 115 *Major, vel minor dignitas quando successive possint obtineri, & inter eas ascensus, vel descensus detur.*

CAP. III.

Quibus in rebus, ac beneficiis locum habeat Optio.

QUÆRO PRIMO, *An in aliis beneficiis, quam canonicatibus locum habeat optio?*

Respondeo breviter, † quod non, tum quia nulla de hoc est lex, neque doctrina Jurisconsultorum; erubescimus autem † sine lege loqui, §. *optimum, utique, Auth. de non elig. sec. nub. col. 1. & §. consideremus Auth. de trient. & semiss. col. 3. c. illa, ne sed vac. & c. 1. de suppl. neglig. prel. in 6. cum simil.* tum quia optio inter plures datur: plura autem simul beneficia solum sunt in ecclesiis collegiatis, ut supra cap. 1. q. 1. adnotavimus, cum demum quia, cum text. *d. c. fin. de consuet. in 6. ibique & alibi Doct. de optione beneficiorum loquuntur, optari præbendam vacantem dicunt, optionemque vocant præbendarum: nomen autem præbendæ cum de beneficiis loquimur, proprie solum † locum habet in ecclesiis collegiatis, ubi adsunt canonicatus, personatus, ac dignitates, ut patet ex toto fere tit. de præben. & concess. præben. & ibi not. per Doct. in rubr. & per aliquos, in c. cum M. Ferrariensis de constit. Non negaverim tamen, hanc consuetudinem, seu statutum optandi posse etiam locum habere † in collegio aliquo mansionariorum vel aliorum portionariorum beneficiariorum in aliqua ecclesia, ut in specie voluit Abb. consil. 159. nu. 9. 19. & 20. eo quod eadem sit ratio, & text. *d. c. fin.* loquendo de canonicis non disponit, sed supponit in illis hanc consuetudinem. Quin etiam poterit lo-*

C

cum

Y

- 5 cum habere † in sacro aliquo collegio, piave universitate, ubi singulis providetur de beneficio, vel commenda, ut in militiis equitum; sic videmus in religione Hierosol. S. Joannis, antiquiores in receptione optare pinguiore commendas vacantes: ita etiam novimus in illustrissimo collegio DD. Cardinalium antiquiores in eodem ordine optare vacantem titulum. An vero etiam induci possit consuetudo, ut clerici, & presbyteri simplices, qui quodammodo sunt de corpore alicujus ecclesie, optent canonicatus vacantes, & canonici dignitates. Probabile videtur † quod sic, cum nihil repugnet eorum, quæ supra adduximus: semper enim optatur præbenda ab iis, qui sunt de ecclesia collegiata; & ita in terminis tenet Thom. Zerol. in Prax. Episc. verbo canonici, versic. ad 7. & Abb. d. conf. 159. n. 18. & 19. Quibus etiam addi possunt, quæ dicimus infr. cap. 5. quæst. 2. concl. 1.

QUÆRO SECUNDO, An possit optari domus canonicalis?

- 7 Respondeo, certum esse, † quod sic: Quamvis enim de hoc non sit textus expressus, id tamen aperte tenet gloss. d. c. fin. in verbo consuetudo, & ibi Archid. Gem. Butr. & alii, de consuetud. in 6. Bellam. decis. 63. num. 1. Compost. c. ult. gl. 1. ext. de consuet. Prob. ad Jo. Mon. d. c. fin. num. 28 eod. tit. in 6. Abb. d. conf. 159. num. 18. & 21. Rebuf. tract. de pacif. possess. num. 140. Licet enim domus præbenda non sit; tamen vel est † annexa præbenda, ut aliquibus in locis, & in ecclesia Mediolanensi ædes sunt annexæ dignitatibus ex fundatione & institutione illustriss. æt. mem. Caroli Cardinalis Borromæi, vel certe sunt accessoriæ ad præbendas; quare sequi debent eorum naturam, jur. vulg. ut colligitur ex Card. conf. 16. num. 1. & 2. ubi etiam cum num. seqq. supponit, quod seclusa reservatione, & contractu constitutione, præbenda optata censeatur etiam optata præbenda; ubi autem præbenda sit reservata, & per Papam conferatur, censeatur etiam collata domus, neque locum habeat optio. Ea vero consuetudo indu-